Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uel sub scripta lege. homines uiuebant. filii amon contra israel pugnabant. quia maligni hostes animas peccatis onerantes. cunctos dei electos impugnabant. Quibus acrius instantibus. scilicet et morte corporum. electos dei persequentibus. et post mortem ad inferni tenebras contrahentibus. Maiores natu de Galaad pergunt. cum sancti patriarche et prophete. sub ueteris testamenti cultu. fidei et deuotionis affectu se permouentes eriguntur. Vt in auxilium sui iepte de terra tob tollant. ut in redemptionem humani generis. christum uel in silentio oris sui. in mundo quandoque latitaturum. uel ad inferna per mortem crucis descensurum. suis uotis uenire exposcant. suis prefigurationibus redemptionis eius mysteria extollant. Ad eum dicunt. cum suis gemitibus et suspiriis etiam uis cum inquiunt. Veni et ostende nobis faciem tuam. ut per te possimus habere uere salutationis gratiam. Esto princeps noster. dignando fieri magister et legifer noster. Contra filios amon pugna. malignos hostes. mortis pondere nos deprimentes. tue humilitatis et innocentie uirtute expugna. Quibus ille respondit. cum christus sanctis patriarchis et prophetis. future redemptionis mysteria expandit. Nonne uos estis. qui in successoribus uestris. de carne uestra progenitis. me odistis. prodidistis. Et de domo patris mei eiecistis. proiecistis. quia me pro uobis hominem factum. de synagoga que domus patris mei esse debuerat. expellistis. Nunc uenistis ad me necessitate compulsi. pro toti humani generis perditione. legatione apud me functi. Principes Galaad ad iepte dicunt. cum sancti patriarche et prophete. dei filium humili et supplici prece requirunt. Ob hanc igitur causam nunc ad te uenimus. quia sine te nullam spem salutis mundo esse cognoscimus. Vt nobiscum proficiscaris. ut nostri causa. cum sis filius dei. uirginis filius fieri digneris. Vt contra filios amon pugnes. ut hostes nostros. tua passione et resurrectione expugnes. Sisque dux omnium qui in Galaad habitant. ut sis redemptor tuorum fidelium. qui sub utroque testamento uera fide et dilectione tibi militant. Iepte eis dicit. cum filius dei sanctorum patriarcharum et prophetarum precibus annuit. Si uere ad me uenistis. qui uerum me esse dei filium credidistis. Vt pro uobis contra filios amon pugnem. ut hostes uestros. mea cruce et passione expugnem. Si eos dominus in manus meas tradiderit. si deus auctorem mortis morte mea prostrauerit. Ego ero princeps uester. Ego ero creator et redemptor uester. Principes respondent. cum sancti patriarche et prophete. filio dei. sue fidei et dilectionis affectum spondent. Dominus qui hec audit. qui tue redemptionis uerbum. nostris auribus infundit. Ipse mediator est ac testis. cuius unctio nos docet de omnibus istis. Quod nostra promissa faciemus. quod tibi uera fide et dilectione semper seruiemus. Iepte cum principibus Galaad abiit. cum dei filius sanctorum patriarcharum et prophetarum uotis. factus homo cedit. Omnis populus eum principem sui facit. quia omnis plebs electorum ante legem. sub lege. sub gratia. creatorem et redemptorem suum recognoscit. Iepte